Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 505

Quelle:
Copyright:

Cap. 18. lacunam habet, Librario in margine monente: *Multum deeſt*; ſunt vero 6. circiter lineae a verbis: *Miſerum te inquit*, ad verba: *ſed quantum potuerit grauiſſime;* in graecis denique, quae ſub finem occurrunt, quorumque interpretatio cubat in margine, non pauca corrupta ſunt. Ad calcem hujus Libri continuo

Fol. 33. *Incipiunt Capitula libri Firmiani lactantij de opificio dei uel formatione hominis.* Cenſentur XXI. cujus rationem mox reddam. Initium, ut alias: *Quam minime ſum* (ſim) *quietus etiam* (et in) *ſummis neceſſitatibus* &c. *Caput* 3. nobis incipit: *Unde ego philoſophorum* &c. quae in Edit. *Pariſ.* 1748. T. II. p. 76. revocantur ad C. 2. usque ad verba: *Queruntur hominem nimis imbecillum.* C. 19. poſt verba: *quo uitam poſſet adipiſci*, inſertus eſt nobis ſpurius ille Locus, quem Editores *Pariſ.* p. 123. in *Notis* referunt, quique nobis a verbis: *Ante omnia diuerſitatem uoluit eſſe* &c. *Caput* 20. conſtituit inſcriptum: *Cur deus dedit ſpiritum temptatorem;* unde neceſſario *Capita* XXI. conficiuntur. Ad calcem invenies: *Bntpnkxs df Crkxſtlks dfk grbtkb ſcrkpſkt bxnc Ikbrxm dkf XII kbnxbrkk* 1433. et obſervato artificio leges: *Antonius de Crivellis dei gratia ſcripſit hunc librum die* XII. *Januarii.* Adpicta fronti Inſignia Regni *Caſtellae* haberi poſſent, niſi Caſtelli Porta rubra, area vero caerulea foret.

CCLXXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 1670 Folior. 249. f. probe in Italia deſcriptus, rubricis diſtinctus et prius *Bibliothecae Civicae Vindob.* complectitur I. *L. Caecil. Firm. Lactantii Libros VII. Divinar. Inſtitutionum* a nobis ſaepius utroque *Vol.* indicatos, quorum Primus incipit: *Magno et excellenti ingenio uiri* &c. Adcuratum eſt non ab uno Exemplar; plures enim manus diſtinguas, quae in marginibus Argumenta, Lemmata, Notulas adjecere. Una earum variam etiam Lectionem ſubfecit, non ſemper obſervatam *Pariſinis* quoque *Lactantii* 1748. Editoribus. Ita in *Praef.* ubi habetur: *cogitatio aſſequeretur humana*, addit: al. *cognitio.* Item: *ob inſitam ſibi auſteritatem*, al. *auctoritatem.* Cap. V. φαντα *apparentem nominat*, al. *illuminatorem.* Item *concipere animo*, al. *conſpicere.* Item *praeſtantiſſimam poteſtatem*, al. *potentem.* Item *eguerit auctore*, al. *genuerit auctorem.* Item *infuſa per artus*, al. *effuſa.* et ſic ulterius plura, quorum quaedam expendi merentur. Ad calcem adjecta ſunt honorifica *Lactantio* teſtimonia *Hieronymi*, *Auguſtini*, et *Laureati de Officio Religioſorum*, cujus poſtremi locum exſcribo: *Lactantius firmianus et ipſe uir magnus in eo libro, quo gentilium erroribus exarmatis fidem noſtram, quantum quiuit, armavit, omnemque hanc deorum ſcenam mirabili et laudabili curioſitate detexit. In eo opere Auguſtino et alijs ſequentibus*